

Petrus de Vinea

*Ep. V 41 (Pro parte uniuersitatis
ciuitatis Aretinae...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 41 (Pro parte uniuersitatis
ciuitatis Aretinae...)*

giugno 1247

Capitano, ut fiat inquisitio de quodam, qui dicitur fidelis, capto inermi inter infideles.

1. Pro parte uniuersitatis ciuitatis Aretinae, fidelium nostrorum, nuper nostrae fuit excellentiae supplicatum, quod, cum R., ipsius ciuitatis ciuis, in exercitu Perusinorum, nostrorum rebellium, contra fideles nostros Fulginates temerarie congregato, inermis captus extiterit, et per te postmodum carceris uinculis deputatus, eundem R. taliter captum ob ipsorum Aretinorum deuotionem, quam erga nostrae celsitudinis incrementum gesserunt hactenus et incessanter gerunt fideliter et deuote, liberare ab eo carcere de nostra gratia dignaremur. 2. Propter quod ipsius Communis supplicationibus benignius inclinati, et ipsorum nostrorum fidelium attendentes deuotionem sinceram et seruitia gratiosa, fidelitati tuae mandamus, quatenus de captione predicti R., uidelicet qualiter et ubi captus extitit, etsi tunc erat inermis, ut dictum est, diligenter inquiras. Et quicquid inde inueneris nostrae curiae rescripturus, ut, per te certificati, super hoc celsitudo nostra procedat, sicut fuerit procedendum.